STATUTA

ET

REGULÆ

CONGREGATIONIS PRESBYTERORUM SAECULARIUM

SUB TITULO

S. MARIÆ PURITATIS

Erectae Neapoli sub directione RR. PP. Piorum Operariorum,

Approbatæ et confirmatæ a SS. D. N.

CLEMENTE PAPA XI.

NEAPOLI 1825.

Ex Typographia Paschalis Tizzani.

Superiorum permissu.

TIBI IMMACULATISSIMAE

PURITATIS

REGINÆ,

Primiceriae Matri, et in Filiis tuis
Custodi vigilantissimae,
Has tuae Congregationis Regulas,
Pontificio Diplomate approbatas,
Clerici Saeculares,
Qui sub tuo Patrocinio,
Et Puritatis titulo congregantur,
Et offerunt, et commendant,
Suscipe sub Patrocinio tuae tutelae
Donum oblatum,
Et hos filios tuos sub tuae Puritatis Asylo
Et vigilanti custodia obumbra.
Hos Congregatos
Tanquam acervum tritici vallatum
Liliis,
Respice, et protege.
Eis tantum ac talem
Spiritum Puritatis infunde,
Ut semper in odorem
Tuae Puritatis currentes
Alios currere faciant.
Pueri,
Quos Christianae doctrinae lacte erudiunt,
Ad Puritatem
Et nutriantur, et adolescant.
Peccatores peccatorum coeno luridi

Ad Coelestem Puritatem ipsorum vocibus
Emergant.
Nec vel unum ex ipsis
Permittas impuritatis, vel minima labe
Unquam maculari.
Potius
Totam Congregationem
Extingui, evelli, extirpari,
Quam ne ullum quidem ipsorum
Parva macula foedari.
Hoc est votum, haec est omnium
Congregatorum et humilis, et
Perennis petitio,
Quam
A benignitate, et vigilanti custodia
Amantissimae et Pientissimae Matris
Expectant.

L E T T E R A.

Responsiva del fu Card. Antonio Pignatelli Arcivescovo di Napoli, e poi Papa Innocenzo XII. di fel. mem. diretta alla Segretaria de' Brevi in tempo di Papa Innocenzo XI. per l' attestato della Congregazione de' Chierici Secolari di S. Maria della Purità, richiesto dalla S. Sede per concedere alla sudetta Congregazione le sue grazie Apostoliche.

Foris -- *All' Ill., e Rev. Signore, Monsignor Albani Segretario de' Brevi. Roma.*

Intus -- *Ill., e Rev. Signore*

LA Congregazione de' Preti Secolari sotto l' invocazione di Santa Maria della Purità in San Nicolò di Toledo fu quì fondata in tempo del Signor Cardinal Caraccioli mio antecessore col consenso, ed autorità del medesimo, ed è composta di circa settanta soggetti, che hanno

per instituto d' esercitarsi nelle Missioni a loro proprie spese, come in effetto han fatto fin' ora, e tutta via van facendo per diverse Diocesi del Regno anche più rimote, con gran profitto spirituale, e con sommo disinteresse. Onde quando la Santità di Nostro Signore inclini a consolarli coll' Indulgenza richiesta in occasione di dette Missioni; quanto a me, non ho motivo, nè difficoltà veruna, per cui non li reputi meritevoli di tal grazia, ch' è quanto mi occorre di significare a V. S. Illustrissima in risposta del suo cortesissimo foglio; e rinovandole la memoria del mio vivo desiderio di servirla, resto per fine con ratificarmi. Napoli 15. Gennaro 1689.

Di V. S. Illustriss.

Affezionatiss. per ser.
Antonio Card. Pignatelli.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendissimo Patri
Sac. Apost. Palatii Mag.

*Dominicus de Zaulis Archiepiscopus
Theodosiae Vicesgerens.*

Imprimatur.

Fr. Joannes Baptista Carus Mag. et
Socius Reverendiss. P. S. Apost.
Pal. Mag.

INDEX
CAPITUM STATUTORUM
ET REGULARUM.

REGULÆ PRO MISSIONIBUS.

CLEMENS

PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis dignitatis fastigium nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem Divinae sapientiae, atque clementiae abundantiam, evecti, ea quae a Christifidelibus quibuscumque pro salubri Societatum pie, sancteque institutarum, uberesque pietatis fructus, Deo ad-

juvante, atque incrementum dante, proferre jugiter fatagentium, directione, felicique personarum illis adscriptarum in via mandatorum Dei progressu, provide, prudenterque constituta, et ordinata esse dignoscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus. Exponi si quidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, et Confratres Congregationis Presby-

terorum Saecularium sub Titulo S. Mariae de Puritate nuncupatae, in Ecclesia Sancti Nicolai Presbyterorum etiam Saecularium Congregationis Piorum Operariorum pariter nuncupat. Civitatis Neapolitanae, canonice (ut asseritur) erectae, quòd pro felici prosperoque dictae Congregationis regimine, et guberno; salubrique pietatis, et Christianae charitatis operum, quibus Congregatio ipsa, eiusque Personae juxta laudabile earum institutum assidue in-

cumbunt, directione, et perpetua conservatione, et manutentione, ab ipsis Confratribus nonnulla Statuta edita fuerunt tenoris sequentis, videlicet.

STATUTA,

ET

REGULÆ

Servandæ in Congregatione Clericorum Sæcularium sub Invocatione.

S. MARIÆ REGINÆ PURITATIS,

Erecta Neapoli in Ædibus S. Nicolai RR. PP. Piorum Operariorum Via Toletana.

FINIS, ET INSTITUTUM.

CAP. I.

Parva hæc, cæterisque omnibus impar, Congregatio, eum præcipue ad finem erecta est, ut ipsius Alumni Pueros, rudesque Christianæ Doctrinæ, Fideique Catholicæ rudimentis imbuant, et instituant, quod non modo in hac Urbe, et Dioecesi,

verum et alibi, obtenta prius licentia a Locorum Ordinariis, Parochis, aliisque, quibus Animarum cura incuberit, efficere valeant, eo etiam tendit, ut Clerici Sæculares ad Sacrarum Missionum munus idonei efficiantur, modumque percipiant, Dei verbum simplici stylo, atque Evangelico Spiritu, ut Christi Operarios decet, ministrandi id, quod Ecclesiasticis unice curandum foret, hac nostra pæsertim tempestate, de qua signanter adimpletum videtur illud Jeremiae Thren. IV. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*, et licet nostræ Congregationis Fratres vocati sint a Deo ad extirpandas omnes illas culparum, et ignorantiæ spinas, easque simul destitutarum Animarum spicas colligendas, quæ ab aliorum Operariorum falce in ipsa messoria opera dilapsæ sunt; vivum tamen, vehemensque desiderium alere debent in corde universus Mundi Animabus suppetiarum indigenis opem præstandi; adeoque ut per Divinarum literarum studium, orationis, cæterarumque virtutum, quæ ad hunc altissimum finem necessariæ videbuntur, exercitium, idonei ad id fiant.

Conditiones eorum, qui vel in Novitios adscribi, vel inter Fratres annumerari desiderant.

C A P. II.

1. Ecclesiasticos dumtaxat in nostrorum operariorum cœtum admitti volumus, adeoque nemo nisi Clericali Militiæ adscriptus, vel Clericali habitu incedens, proxime sit adscribendus, inter Novitios recenseri valeat: omnes autem Apostolici Ministerii adimplendi desiderium præseferant; et idoneitatem ad hoc aliquam habere dignoscantur.

2. Nec infra decimum quintum annum, nec supra quintum, et trigesimum quis in Novitium assumatur; et si super ætate dispensari contingat, absque rationabili causa, Divinæque Gloriæ incremento, haud fiat.

3. Nemo in Novitiorum numerum adscribatur, nisi a Patre Congregationis pluries id antea effligitaverit, eidemque supplicationem in scriptis dederit; qui si idoneum agnoverit, Consultoribus proponat, a quibus cura demandabitur alicui

ex Fratribus, ut de moribus, et vita supplicantis clam cognoscat, et ubi omnia requisita habere comperiatur, poterit in Novitium assumi.

4. In Congregatorum Coetum non admittatur, nisi qui Sacerdotali charactere insignitus est, vel ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem saltem ascenderit, quem ad gradum donec perveniat, cum Novitiis agat, eorumque instructiones ediscere prosequatur.

5. Nulli, vel Sacerdoti, vel in Sacris constituto liceat inter Fratres referri, nisi Novitiatus tempore laudabiliter ad ædificationem usque peracto, omnibusque illis exercitiis interim expletis, quæ a cæteris Novitiis fieri consuescunt. In his autem exercitationibus sufficiens ad Institutum Congregationis ingenium, idoneitatem, et spiritum ostendisse opus est.

6. Ad Patrem Congregationis, ejusque Consultores pertinet eos a Novitiatu dimittere, qui, vel necessariam aptitudinem haud habeant, vel suis inconditis moribus parum bene oleant, nec non omnia ea membra ex Congregatorum corpore abscindere, quæ incondito vivendi modo scandalum aliis faciant, opti-

moque Fratrum nomini obesse videantur.

De Officialibus.

C A P. III.

1. Bonum regimen, ordo, et directio Congregationis postulat, ut singulis annis novi Officiales creentur, nempe Præfectus cum duobus Assistentibus, Secretarius, Thesaurarius, Novitiorum Magister, Præfectus Casuum conscientiæ, duo Cancellarii, Magister Cæremoniarum, duo, quos vulgo Bidellos appellamus, quatuor Sacristae, Janitores quatuor, et duo Decuriones. Ujusmodi autem Officiales fiant primo Congregationis die, habendæ post Ascensionem Domini, modo hic posito.

2. In ultima Congregatione habenda antecedenter ad electionem, Pater adhortetur omnes Fratres, ut enixe Omnipotenti Deo futuræ electionis felicitatem commendent, injungat tum Clericis, ut Sacram Communionem adhibeant ad hunc finem; tum Sacerdotibus, ut eamdem causam meminerint, in Sacro faciendo ipso electionis die.

3. Statuto die, congregatis tantum il-

ils, qui quatuor post Novitiatum annos inter Fratres degerint; nam ante id tempus nemini vel accipere, vel dare votum licebit, recitentur Litaniæ Beatæ VIRGINIS, quibus absolutis, veteres Officiales ad Patrem accedant, et genibus flexis, poenitentiam de patratis in suo munere defectibus humillime accipiant, mox habita ab eodem Patre brevi conciuncula, qua quisque monitus fiat, ut in ipsa electione Dei tantum gloriæ, atque ipsius Congregationis incrementi rationem habeat, proponantur ab eodem Patre (prævio consultorum Judicio) nomina sex Fratrum, qui vitæ exemplo, et officioso erga Congregationem animo cæteris præcellant. Hi vero, ubi nominati fuerint, statim assurgant, et nulla adhibita excusatione caput flectant in signum obedientiæ. Extemplo sistatur coram Patre urna cum scriptis nominibus omnium Fratrum, ex quibus sorte eruantur duo, qui assistant eidem Patri a latere adscribenda, et legenda eligendorum nomina, mox a Secretario superioris anni dispensentur pagellæ omnibus Fratribus, etiam ipsis nominatis, qui suis quoque suffragiis ad novam electionem concurrent.

4. Præfectus eligendus est prius, mox primus Assistens, inde secundus, et singulorum electio fiat ex majori suffragiorum numero. Quod si paria contingant vota, recurratur ad sortem, et super quem sors cadet, cadat et electio.

5. Habita hoc pacto electione, et a Patre promulgata, surgant electi, provolvantque se humiles ad pedes Patris, qui breviter eos hortabitur ad munus suum solerter agendum; mox jubebit, ut loco, cuique pro suo munere deputato assideant, et interim pro gratiarum actione cantabitur. *Te Deum etc.*

6. Peracta Congregatione cum suis consuetis Orationibus, Pater, et Officiales noviter electi (qui omnes erunt ex numero Consultorum) eligant cæteros Officiales inferioris ordinis, nempe Secretarium, Novitiorum Magistrum, Casuum Præfectum, et Thesaurarium, qui et ipsi ad consilium mox adhibeantur, eodemque die possessionem capiant.

7. Eodem quoque die Pater simul cum omnibus Consiliariis cæteros infimi Ordinis Officiales creabit, ut puta Novitiorum Magistri Socium, Præfecti Casuum Socium, Cancellarios, Cæremoniarum Ma-

gistrum, Sacristas una cum Portinariis, Bidellis, et Decurionibus. Horum vero electio in proxime habenda Congregatione vulgabitur. Omnium Officialium munus erit annuum, licet si Patri, suisque Consiliariis, vel plerisque Fratribus (ubi ad eos pertineat electio) visum fuerit, possunt, vel omnes, vel ipsorum aliqui proxime sequenti anno in suo munere confirmari.

De Munere Praefecti.

C A P. IV.

1. Præfecti est Patrem Directorem Congregationis coadjuvare, curamque adhibere, ut plene ab omnibus regulæ asserventur, quod ut facilius assequatur, præeat exemplo, ut quod ab aliis fieri vult, ipse præ cæteris faciat.

2. Eidem curandum, ut Christianarum Doctrinarum exercitium nullo unquam tempore relaxetur, aut negligatur, quin potius magis in dies incalescat, et ad ignorantium institutionem proficiat magis.

3. Præfectus una cum suis Assistenti-

bus, Fratres, ac Novitios distribuat pro unaquaque doctrina festis diebus per Urbem facienda; singulis, tum Parochiam, tum Sacerdotem Caput constituens, omnesque assignatos redigat in notam, quam Bidellus consueto loco affigendam, et Fratribus notificandam curabit.

4. Efficere debet, ut quilibet Sacerdos, qui aliorum Dux, et Caput est in Doctrinarum exercitiis, semel in mense coram Patre, et Consultoribus referat de omnibus, quæ sciri oportet, ut si quæ opportunis remediis indigeant, præmatura solertia consulatur.

5. Ipsemet Præfectus Festis diebus circumeat, et solerter observet, quanam methodo, et charitate pueri a Fratribus in Fidei rudimentis instituantur, neque in hoc, alieno tantum testimonio contentus esse, sed ipse oculatus esse testis velit.

6. Scire studeat, ubinam major contingat necessitas, quæque Parochia majori Catechistarum numero indigeat, ut necessitati possit occurri.

7. Pro inchoanda Congregatione, quæ semel in hebdomada habetur, ad Præfectum attinet intonare *Actiones nostras*

etc. et Litanias Beatæ VIRGINIS cum reliquis commemorationibus, et Orationibus ad id statutis, mutuo cum Fratribus recitare; ideo Præfectus ipse jubetur adesse prior in Congregatione, cæterisque exercitiis interesse; Patre præsertim absente, ne indecorum aliquod, et a Statutis nostris alienum sua culpa contingat.

De munere primi, et secundi Assistentis.

CAP. V.

1. Primus Assistens Præfecti absentiam suppleat, ejusque vice, et munere fungatur.

2. Primi igitur Assistentis est, Præfecto absente, vel jubente, Doctrinarum exercitium visitare, cæteraque munera peragere, quæ Præfectus ipse præstaret, si præsens foret.

3. Quæ de primo Assistente jubentur, Præfecto absente, eadem de secundo in absentiam primi: itaque utroque absente, nempe Præfecto, et primo Assistente, ad secundum pertinet Præfecti munus su-

bire, ejusdemque partes supplere, tum in rebus Congregationis, tum in visitandis Doctrinarum exercitiis.

De Munere Secretarii.

C A P. VI.

1. Secretario incumbit custodire Archivium, et omnes scripturas ad Congregationem pertinentes.

2. Quatuor apud se habeat libros. In primo adnotentur acceptationes, et dimissiones Fratrum. In secundo decreta, quæ fiunt a Patre cum suis Consiliariis. In tertio res notatu dignæ, quæ solent, tum in Doctrinis, tum in Missionibus accidere. In quarto tanquam in Protocollo scripturæ authenticæ ad Congregationem pertinentes asserventur.

3. Secretarii onus est legere, quæ a Patre sibi legenda assignabuntur pro initio Congregationis.

4. Ad eumdem spectat scribere ad Fratres absentes de quotidiano Congregationis profectu; legere Epistolas, quæ mittuntur a Fratribus in Missionario labore procul degentibus, et responsum

dare literis, prout a Patre sibi dictatum fuerit. In his autem omnibus liceat sibi socios, coadjutores adhibere.

5. Retinebit apud se formularium, et sigilla ad efformandas, et obsignandas literas testimoniales pro iis Fratribus, quos vel Missionum, vel pro propriorum negotiorum causa extra Urbem Neapolis ferri contigerit.

De Praefecto Casuum Conscientiæ.

C A P. VII.

1. QUicumque ad id muneris eligendus est; moribus, et doctrina cæteris Fratribus antecellat: eligatur autem a Patre Congregationis cum reliquis Officialibus, ac plenis Consultorum suffragiis.

2. Sciat Casuum Præfectus, munus sibi injunctum majoris esse negotii, quam reliqua omnia, quæ in Congregatione exercentur; debet enim in Doctrina Sacra docere Operarios, ut possit hi Proximorum conscientias dirigere, et planius ac tutius æterne salutis iter eis aperire.

3. Novas, laxas, tenuisque probabilitatis opiniones haud sequatur; verum il-

las, quæ a celebrioribus Doctoribus sustinentur, quæque solidiorum habent rationum fundamenta.

4. Collationes fiant super iis tractatibus, et materiis, quæ magis videbuntur necessariae ad casus in Missionibus accidere solitos. In commemoratis autem collationibus, procedatur ordinatim; et post absolutum tractatum, alius inchoetur, idque non absque praevio Patris consilio.

5. Cum difficultates in medium a Fratribus afferuntur, non perturbetur ordo, sed prius loquatur, qui priorem habet loquendi locum, et in illis proponendis, atque extricandis, caveatur a contentionibus, sed cum charitate, et humilitate quisque loquatur ad finem tantummodo addiscendae veritatis.

6. Fratres mediocris ingenii, tenuisque capacitatis benevole, patienter, et leniter instruat, neque asperis utatur verbis, aut reprehensionem ullam in eos adhibeat.

7. Peracta collatione de errore aliquo, seu responsione parum idonea ab aliquo ex Fratribus adducta, nullus habeatur sermo, multo minus in derisum vocetur, idque fub gravis pœnitentiae pœna.

8. Cum per aliquod signum a Praefecto collationis finis indicitur, verbum in ore loquentis abrumpatur, nec syllaba proferatur ulterius.

9. Nota casuum Conscientiae discutiendorum, loco a Patre statuto in praecedenti Congregatione affigatur, et in eadem nota, tum Auctores, qui de illis agunt, tum loca, ubi de eis tractant, ad faciliorem Tyronum captum, et institutionem innuantur.

De Officio Thesaurarii.

C A P. VIII.

1. THesaurarius pecuniam Congregationis apud se repositam servet.

2. Librum habeat, ubi adnotetur introitus, et exitus nummorum, quos vel a Patre, vel a Fratribus, aliisve ad Missionum, et Doctrinarum sumptus, acceperit.

3. Illas tantum expensas per se facere liceat, quae duorum carolenorum summam non excedant: supra vero non possit, nisi de licentia, Patris et Consultorum.

De Munere Magistri Novitiorum.

CAP. IX.

1. Novitiorum Magister curam gerat Clericorum, Presbyterorum, qui nostrae Congregationi adscribuntur, et suo subsint regimini, donec inter Fratres recenseantur.

2. A Novitiatu eos non dimittat, donec continuos sex tyrocinii menses exegerint, quo tempore curet in Cœlestium meditationem, Divinaeque praesentiae exercitium illos erudire. Quoad externum vero Corporis habitum sic eos efformet, ut gestu, verbis, incessu, modestiam ubique praeseferant. Hortabitur praeterea, ut Spiritualem sibi Ducem quisque eligat, a quo manuduci in via Domini, et ad spiritum suae vocationis promoveri queat.

3. Doctrinam Christianam a Bellarmino confectam, singulos habere faciat, eamque memoriter addiscere, nec non; ut quolibet die caput aliquod Sacrae Scripturae domi suae legant, quod an praestent, per improvisas, et crebras super Textu interrogationes exploratum habere studeat.

4. Artem, rationemque concionandi eos doceat; ut autem a facilioribus ad difficiliora progredi valeant, singulis quandoque brevem aliquam narrationem, sive exemplum; vel oratiunculam, Italico sermone *sentimento* nuncupatam, assignet. Super omnia vero studeat varietati vocis in dicendo servandae, ne monotoniae, aut rigido alicui sono assuescant; quae vitia, initio si contrahantur, difficile mox poterunt dimoveri.

5. Crebro hortetur ad studium, quod si negligentes in hac parte se gesserint, deferat Patri, cujus erit proficua remedia adhibere.

6. Scire satagat eorum vitae rationem, studia, et consuetudines; deque his omnibus semel in mense referat ad Patrem.

7. Novitii in Doctrinarum exercitio signum Sanctae Crucis, Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Symbolum Catholicae Fidei, et Deum Trinum, et Unum pueros doceant; sermocinari autem, vel oratiunculas etiam breves attexere non liceat, nisi forte sint Theologi vel Sacerdotes.

8. In Congregatione, Novitii sedeant infimis locis, et divisim a Fratribus.

9. Novitiorum Magister, librum penes se habeat, ubi conscripta sint nomina, cognomina, patria, et locus habitationis Novitiorum, ut si quis minus frequens fuerit, possit facilius adinveniri, et ad frequentiam Congregationis hortari.

10. Cum peracto Novitiatus tempore in Fratrum Societatem asciscì quis postulat, Novitiorum Magistrum oneramus, ut sincere de Novitii acceptandi qualitatibus, ac moribus Patri significet, ne indignum aliquem in Congregatorum cœtum aliquando admitti contingat.

De Cancellariorum munere.

C A P. X.

1. CAncellarii sint duo, ambo coadjutores Secretarii in omnibus, quae ad eumdem Secretarium pertinent.

2. Cancellariis incumbit circolares epistolas, quae sexto quoque mense mittuntur ad Fratres absentes, atque etiam Testimoniales literas, quae profecturis hinc Fratribus dari solent, transcribere.

3. Iisdem injungimus, ut redigere debeant in compendium relationes, quae mittuntur a nostris Missionariis alibi la-

borantibus, earumque exemplum mittere Superioribus exterarum Congregationum, quae huic nostre associatae sunt. Curare autem debent, ut tales Superiores, quo tempore Fratres nostri ad Missiones proficiscuntur, certiores fiant, ut eorum labores apud Deum commendatos habeant.

Magistri Caeremoniarum Officium.

C A P. XI.

1. CÆremoniarum Magistro incumbit ordo exercitiorum habendorum in Congregatione, ut singula fiant suo loco, et tempore.

2. Diligenter observet, quo loco, et ordine quisque sedeat, num introeuntes Congregationem, genibus primum flexis, Deum, et Beatam Virginem adorent, ac mox erecti caput flectant Superiori antequam sessum eant.

3. In Officiis, et Missis, quae solemniter cantari solent a Fratribus, Ritus, et Caeremonias in Rubricis appositas, observari curet. Cantores ad lectiones, et antiphonas, Diaconum, et Subdiaconum, Acolytos, et Thuriferarium eligat ex mul-

tis, quos magis idoneos agnoverit.

Bidelli munus.

CAP. XII.

1. UT artem, rationemque concionandi omnes addiscant, assuescantque Missionibus, (qui secundus est finis nostri Instituti) Praefectus distribuat conciones, sermones, aliasque Oratorii exercitationes, semel in hebdomada ipso Congregationis die a Fratribus peragendas. Hanc autem distributionem, seu assignationem (quae duobus ante mensibus fieri debet, ut quisque vacet assignato sibi oneri commode satisfacere, non intermisso Philosofiae, seu Theologiae studio) ad Bidellum pertinet notare, seu scribere, et scriptum consueto loco affigere.

2. Idem Bidellus statuto die, et hora singulos invitet, et ad suggestum, seu cathedram ducat. Idem cantiunculas canendas imponat cui videbitur pro oratiunculis Italice *Sentimenti* nuncupatis. Idem postremo librum Evangeliorum afferat coram Patre, ut qui concionaturus est proxime sequenti hebdomada, Thema ex Evan-

gelico Textu deprromptum, una cum suis divisionibus, Patri significet.

De Sacristarum onere.

CAP. XIII.

1. SAcristarum curae committimus, ut praevia solertia parent ornentque Altaria, candelas accendant, caeteraque alia ad cultum Altaris pertinentia disponant. Item ut ad manus habeant Missale, seu Sacram Scripturam expedite exhibendam, cum necessitas postulaverit.

De Portinariis.

CAP. XIV.

1. POrtinarii mundam servent Ædem Congregationis, et sedilia commode parata.

2. Neminem, qui non sit de numero Fratrum, vel Novitiorum absque licentia Patris, seu Praefecti, Congregationem tempore exercitiorum adire sinant.

3. Nulli ex Congregatis, dum exercitia fiunt, nuncium aliquod nomine alterius perferre audeant.

4. Tabellam servent, ubi scripta sint nomina Fratrum: in ea ligneis signaculis adnotentur illi, qui Congregationi intersunt, qui vero non intersunt, referantur a Portinariis in notam, quæ tradenda est Patri.

Decurionum munus.

C A P. XV.

1. UBi contingat aliquos ex Fratribus Congregationi non interesse, Decurionum interest, nomine Patris, et Consultorum eos monere, eidemque mox Patri, seu Præfecto excusationes allatas perferre.

2. Mortuo aliquo ex Congregatis, curent Decuriones opportune Fratres monitos facere, ut intersint funeri, et Defuncti Cadaver socient ad sepulturam.

3. Ad eosdem Decuriones attinet de statuto die consultationis, prout a Secretario injunctum sibi fuerit, Consultoribus significare.

4. Decurioni studiorum incumbit solerter inspicere, an Fratres, et Novitii studiis addicti, sedulam scholasticis laboribus navent operam; quod si negli-

gentes dignoverit, Patri significandum volumus, ut dulciter eos moneat, et ad coeptum curriculum efficaciter hortetur.

Regulae pro Consultatione habenda.

CAP. XVI.

1. Non omnibus, aut cuicumque ex Fratribus consultationi interesse fas esto, sed tantum Patri Congregationis, Præfecto, duobus Assistentibus, Thesaurario, Novitiorum Magistro, Casuum Præfecto, et Secretario. Hi solummodo congregentur, et de necessariis ad bonum regimen Congregationis agant, atque constituant.

2. Semel in binas hebdomadas fiat consultatio, nisi forte necessitas poscat, ut intra id temporis iterum quandoque habeatur. Consultatio regulariter habenda non est ipso die Congregationis, sed alio ab ipso, prout statutum fuerit a Patre, et per Secretarium Consultoribus ipsis prænunciatum.

3. Pater tantum res proponat in consultatione, alius nemo, nisi de licentia ejusdem Patris; itaque si quis ex Consulto-

ribus quid habeat, quod vel obesse, vel prodesse censeat Congregationi, ante consultationem per se, vel per Secretarium Patri communicet, ut in consultatione mox proponi queat.

4. In responsis hic ordo servandus, ut prior cæteris verbum faciat Pater, mox Superior, inde primus, deinde secundus Assistens: in aliis quatuor qui supersunt, ætatis gradum attendi præcipimus.

5. Sermo fiat sine contentione animi, sine fragore, et aculeis verborum; sed pacate, et indifferenter suam quisque proferat sententiam, tantumque prospiciatur Jesu Christi gloriæ, et Congregationis emolumento.

6. Consiliariorum quisque, nedum consultivum, sed et decisivum votum habeat; Pater Director Congregationis tum in Officialibus eligendis, tum in consultando, duplici polleat suffragio: omnia vero decidantur ex majori suffragiorum numero: quod si paritas intercedat, utraque dispar sententia notetur in duabus pagellis, et sorti committatur, quæque prior prodierit, pro constituta habeatur.

7. Quidquid in consultatione decerni-

tur, præsertim bono Congregationis regimini proficuum, notetur a Secretario in libro ad id parato; cujus inscriptio sit ; *Decreta Consultationis*.

8. Ad Consultationem spectat, Novitios, seu Fratres admittere, vel dimittere; præxaminatis coram Deo bonis admittendorum moribus, eorumque idoneitate ad nostrum Institutum: et e contra gravibus causis atque rationibus, quibus alios dimitti expediat.

9. Quarto quoque mense Fratrum nomina, prout in tabella reperiuntur adscripta, in consultatione legantur; et singulorum vita, ratio, studia, et profectus diligenter examinentur: quod si quis elaboret defectu, ut grave præjudicium Congregationi ferat, ter monendus, et corrigendus est, ex qua correctione, si nihil profecisse in quarto scrutinio dignoscatur, dimitti poterit, ac e tabella deleri; si autem contingat (quod Deus avertat) ut in aliquod grave crimen, præsertim contra puritatem quis incidat, unde gravis infamiæ nota cæteris fratribus inuratur, trina haud expectetur monitio, sed statim consultatione coacta, dimittatur.

10. Singulis quibusque mensibus Superiores, seu Rectores Doctrinarum vocentur in consultatione, ut referant de iis, quæ in Doctrinarum exercitio contra regulas Instituti nostri fortasse contingerunt. Idem et de Superioribus Missionariorum statim atque redierint ab iis Locis, ubi Apostolico munere functi sunt, ut significent in plena consultatione de iis omnibus, quæ in Missionibus adnotarunt Institutionibus nostris parum consona, vel omnino aliena.

11. In prima consultatione, quæ habebitur post creatos Officiales, quisque ex Consultoribus juret coram Patre de secreto servando, obstringatque se non detecturum res graves, quæ in consultatione agentur, neque Consiliarii alicujus sententiam proditurum, ne quod inde, ut solet, inconveniens oriatur.

12. Antequam inchoetur consultatio, dicatur Hymnus *Veni Creator Spiritus etc.*, quo finito, quiescant omnes aliquantulum, et Divinum interim pro rebus agendis lumen a Deo exorent: Pater, dato signo, finem indicat Orationi, prosequens versiculum *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur*, et respondentibus cæte-

ris : *Et renovabis faciem terrae*, subtexat Orationem *Deus*, *qui corda fidelium*. Peracta jam consultatione, recitetur *Salve Regina* cum sua oratione, et in fine adjiciatur *Pater*, et *Ave* ad impetrandum incrementum spiritus iis, quibus innititur bonum regimen Congregationis.

Ordo, et distinctio Exercitiorum, quae habenda sunt in Congregatione.

C A P. XVII.

1. SEmel in hebdomada, die a Patre designando, hora ad id constituta pro temporum diversitate, Bidellus, horologii signo audito, Fratres moneat, ut adeant Congregationem; quibus introgressis, statim Præfectus dabit signum Campanulæ, omnesque genuflectant: recitabitur Hymnus *Veni Creator Spiritus etc.* Deinde Litaniæ Beatæ Virginis, adjecto post titulum *Reginae Virginum*, illo *Reginae Puritatis*, quod ter geminabitur. In fine Litaniarum dicetur Antiphona *Sub tuum Praesidium etc.* cum Oratione *Concede etc.* Immediate fiant

commemorationes Sancti Michaelis Archangeli, et Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli: hisque expletis, Praefectus dabit signum Campanulae, et assurgentes omnes absque strepitu et tumultu, suis locis sedebunt. Statim a Praefecto casuum, fiat conferentia casuum conscientiae, ut capite VII. dictum est.

2. Si tempus suppetat, poterit a Secretario, vel a quolibet alio de mandato ipsius Praefecti, legi per breve spatium aliquis liber, qui agat, vel de rebus ad statum Ecclesiasticum facientibus, vel de re, quae sit argumento exercitii faciendi consentanea.

3. Post hanc lectionem, Pater si velit (nam ejus arbitrio relinquitur) ad Fratrum instructionem verba breviter faciat, sumpto argumento ex Evangelio currenti, vel ex lectione praehabita, vel aliunde, ut sibi placuerit.

4. Si disserere Pater nequeat, vel nolit, inchoabit unus ex Fratribus exercitium illud, ad quod fuerat jam antea designatus, sive sit Concio, sive Sermo, sive Instructio, aut quid aliud in nostra Congregatione fieri consuetum.

5. Hoc peracto, Pater ab aliquo ex Fratribus, cui ab initio Congregationis Bidellus onus hoc injunxit, percontetur quidnam ab arte dicendi alienum in ea oratione adnotaverit; isque ubi modeste, et sincere suam de ea re protulerit sententiam, Pater excipiet, et quidquid a praeceptis, et ratione dicendi dissonum agnoverit, corriget ad communem omnium instructionem.

6. Inde fiat exercitatio Doctrinae Christianae, quae quadrantem horae non excedat: praemissoque demum cantu brevium Cantiuncularum, fiant a duobus Fratribus duae breves oratiunculae, vulgo *Sentimenti*, altera ex iis, quae interdiu fieri solent per plateas ad trahendum Populum in Ecclesiam; altera, quae noctu ad terrorem incutiendum, et dolorem de peccatis commissis excitandum.

7. Omnibus his peractis, et lecta, si necessitas poposcerit, Doctrinarum assignatione, recitabitur *Salve Regina* cum Oratione *Omnipotens etc.*, adjectis consuetis commemorationibus Sancti Michaelis Archangeli, et Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli. In fine dicatur *Pater*, et *Ave* ad exorandum incrementum

spiritus nostrae Congregationis, et sic terminetur Congregatio.

Regulae communes omnibus Fratribus.

C A P. XVIII.

QUoniam unicus erit scopus, ad quem Fratres nostri collimare, et omnes suas operationes dirigere debent, nempe Dei Salvatoris nostri gloria, quam non alia ratione promoveri, nisi per nostrae, Proximorumque salutis studium, potest; idcirco, ut ad utrumque feliciter pertingatur, his quemque consiliis muniendum censuimus.

1. Dei gloriam, animarumque salutem omnibus suis in rebus ob oculos habeant.

2. Ut Proximorum saluti per Apostolicum munus inserviri possit, studeat quisque idoneus ad id fieri per earum literarum studium, quae Divino huic Ministerio magis conducunt, utpote est Philosophia, et Theologia, tum Scholastica, tum Moralis, Controversiae, Divina Scriptura, etc.

3. Tempore quo vacatur addiscendae Philosophiae, et Theologiae, in Concio-

nibus componendis (si desiderium hoc forte irrepat) nemo tempus absumat, ne per hoc praepediatur id, quod tunc magis interest ; sed sat ei sit, si vel aliquo feriato die, vel post plenam materiae, cui studet, intelligentiam, parum illud, quod superest temporis, impendat in ea orationis specie construenda, quae assignata ei fuerit a Superioribus Congregationis.

4. Nullus mediocris scientiae patrimonio contentus esto, sed constituant sibi singuli ad summum doctrinae apicem pertingere : nesciunt enim quid ab eis velit Dominus, vel ad quod opus magnum eos assumpserit.

5. Diem praeterire haud sinant absque lectione Divinae Scripturae, et quisq. librum penes se habeat, in quo adnotare possit, vel lecta, vel audita, quae aliquando sint ei deservitura.

6. Orationem mentalem, seu meditationem singulis enixe commendamus, quae fiat quotidie per horam, vel longius, ut Patri Spirituali videbitur. Praeterea singulis diebus quartam horae partem impendant lectioni spirituali : et antequam vespere dormitum eant, omnes

suas culpas, et defectus generali examine inquirant, mane vero postquam assurrexerint, cuncta eo die agenda Deo dirigant.

7. Clerici Sacro Eucharistiae ferculo reficiantur singulis quibusque Dominicis, et Festis diebus, atque etiam quarta, et sexta Feria: quotidie tertiam partem Rosarii, et Litanias recitent in honorem Beatissimae Virginis Dei Matris.

8. Familiarem habeant Dei praesentiam, ita ut in omnibus Deum sui inspectorem, operumque suorum observatorem considerent; quare nihil agant, quod Deo intuenti possit displicere. Monemus etiam, ut initio quarumcumque operationum mentem elevent ad Deum, eumque deprecentur, ut per Ipsum, in Ipso, et cum Ipso omnia fiant, et optimo cedant exitu.

9. Tam in Concionibus, quam in Doctrinis, caeterisque Spiritualibus exercitiis praxim hanc utilissimam, nedum aliis suadere, sed et facilem eis viam sternere satagant.

10. In omnibns supra numeratis exercitiis curent semper aliquid de Beatissima Virgine intermiscere, ejusque de-

votionem audientium cordibus ingerere : hoc enim medium prae caeteris est ad nostram salutem potens, maximeqne necessarium.

11. Vestem induant modestam, et quae non solum Ecclesiasticos, sed eos Ecclesiasticos deceat, qui vocati sunt a Deo ad sanctificandas Animas verbo, et exemplo.

12. Abstineant a vestibus sericis: pileos subsutos, tibialia inhonesti coloris, et calceos cum talis, et fibulis argenteis haud gerant.

13. Saecularium consuetudinem pro viribus declinent, atque ita se se mutuo diligant, ut peculiares inter se amicitias haud immisceant, sed aequo invicem se complectantur animo.

14. Comoediis, ubi Histrionem agunt foeminae, non intersit: et si contra egerint, extemplo excludantur a Congregatione. Hanc quoque poenam luant ii, quos cum saecularibus Actores in Scenis esse non puduerit.

15. Erga Congregationem optime sint affecti, ejusque profectum ac spiritum in corde habeant : fraternae unionis vinculum inter se custodiant, et a contentio-

nibus, quae charitatis nexum abrumpunt, totis viribus declinent.

16. Congregationis frequentia omnibus injungitur; si quis autem ex urgentissima causa (sine qua, omitti non debet) interesse nequeat, Patri, seu Praefecto eam aperiat.

17. Nulli, qui de Fratribus non sint, communicentur ea, quae in Congregatione aguntur, precipuae mortificationes in ipsa fieri consuetae.

18. Semel in anno spiritualia exercitia per dies octo ab unoquoque fiant; et semel in mense diem quisque eligat, quo ab omni implicamento expeditus Deo totus vacet, et de rebus animae suae cum Deo agat.

19. Semel etiam in anno per dies tres fiat renovatio spiritus, idque antequam ad exteras Missiones proficiscantur. Hoc autem triduo Spiritualibus exercitiis a Patre agendis mane, et vespere interesse non omittant.

20. Si quis ex Fratribus egrotet, visitetur quotidie a duobus Fratribus, prout designati fuerint a nostro Bidello: et si morbo ingravescente, ad extremum vitae agonem redigatur, duo ex Fratribus per

gyrum ejus agoniae indesinenter assistant: vita, jam functo, Superior per Decuriones certioret Fratres, moneatque, ut Cadaver socient ad sepulturam.

21. Primo die non impedito (quem Patris consilio remittimus) Missa, et Officium Defunctorum cum tribus integris Nocturnis pro Defuncto solemniter a fratribus, et Novitiis in Congregatione cantetur.

22. Et ne privatis quoque suffragiis Defunctus careat, quilibet Sacerdos Frater (si Defunctus fuerit Novitius) Missam pro eo celebret, et Officium Defunctorum semel recitet. Tres autem Missas, et tria Officia si Defunctus fuerit e Fratrum numero. Singulos vero novitios Sacerdotes ad unam tantum Missam, atque unum Officium adstrigimus. Quod autem Missas singuli Sacerdotes pro Defuncto obtulerint, Clerici totidem Communiones applicent, et Officia privatim exolvant.

23. Singulis quibusque annis post diem Commemorationis omnium Defunctorum, Officium cum tribus Nocturnis, et Missa solemniter cantetur in Congregatione pro Fratribus, et Novitiis vita functis, ibique Clerici generalem Communionem faciant.

Regulae Novitiorum.

C A P. XIX.

1. OMnes nondum in Sacris constituti Tyrocinium agant, toteque suae probationis tempore, Novitiatus exercitia plene satagant adimplere.

2. Quidquid a Magistro Novitiorum, ejusque socio injunctum sibi fuerit alacriter praestent, neque adversus designata sibi exercitia excusationem ullam adducant: idem obedientiae obsequium persolvatur Rectoribus Doctrinarum, quibus ita adamussim parendum volumus, ut de eorum mandatis nihil detrahatur, superaddatur nihil.

3. Tempore studiorum conciones, sive alias id genus orationes contexere abstineant; sed tantum, ut alibi monuimus, iis oratoriis exercitamentis se se dedant, quibus a Novitiorum Magistro fuerint addicti.

4. Studeat quisque memoriter scire Doctrinam Christianam Belarmini, seu P. Ledesmae, et lectioni Sacrae Scripturae paulisper vacet quotidie; quin et lecta, si possit, memoriae committat.

5. Peracta Congregatione de erratis in dicendo a Sociis Tyronibus admissis, aut de poenitentiis a magistro Novitiorum fortasse inflictis, invicem loqui, aut aliis communicare non audeant.

6. Praecipuae Fratrum juvenum, multo magis saecularium consuetudines, ceu nocuas, et periculosas declinent.

7. Sive sint in Congregatione, sive in Ecclesia, sive vias incedant, eam modestiam praeseferant, quae admirationem, devotionem, et desiderium Clericalis vitae inspicientibus faciat.

8. Literarum studio enixe incumbant, et interim Omnipotentis Dei gloriam, ceu unicum laborum suorum finem ob oculos habeant; neque immoderata proximum juvandi cupiditate efferantur, antequam Ecclesiastico Spiritu imbuti, idonei per literas ad id facti fuerint.

9. Singulis diebus Orationi, seu meditationi horam ad minus impendere, conscientiae examini vespere vacare; et Corpus Domini Festo quoque die recipere haud omittant.

Regulae pro Doctrinarum exercitio.

C A P. XX.

1. DIvinum hoc istituendorum puerorum, atque rudium erudiendorum exercitium; quo humilius, eo excelsius, Deoque gratius, cui Apostolico ferventiores spiritu Viri, et praestantiores Ecclesiae operarii magno Dei cum honore, sui merito, Animarumque profectu incumbere non renuerunt; a Novitiis, Fratribusque nostris omnibus etiam provectioris aetatis, alacri animo, et fervida charitate praestari volumus. Idcirco Urbes, Oppida, et ea praesertim, ubi agniti fuerint, loca circumire non erubescant; neque, magno licet doctrinae splendore ornati, parvulos ipsos adducere, eosdemque signum Sanctae Crucis edocere pudeat.

2. Pareant omnimode non tantum Superiori, sed et singulis Doctrinarum Rectoribus, praestentque omnia, quae sibi fuerint ab eis assignata, neque hos, quam illos, pueros, quam puellas, rem unam, quam aliam edocendo propensiores se se ostendant.

3. Idem obedientiae genus praestent in loco Doctrinis constituto, itaut in omnibus a Superiorum nutibus pendeant. Inchoent exercitium, cum inchoandi signum acceperint, et campanulae sonitu ad terminandum audito, vocem statim comprimant, et coeptum sermonem abrumpant, et verba in medio cursu intercidant.

4. Contentiones caveant, neque in docendo audeat se quis socio praeferre, sed unusquisque in ea re se exerceat, cui fuerit a Superioribus addictus.

5. Templum ingressi, antequam egrediantur ad pueros convocandos, paululum orent, neque ab oratione consurgant, nisi Rectoris signo percepto. Quod si aliquantisper in Templo immorandum sit, donec socius aliquis adveniat, inepta garrulitate, atque inani sermone tempus haud terant, sed silentium servent, cogitentque secum, quid, et qua ratione Pueros edocere debeant.

6. Omnibus in unum coactis, et ad exeundum paratis, Templum tamen egredi ad convocandos pueros non liceat, nisi petita prius licentia a Parochis, seu Sacristis, vel Superioribus Locorum, ubi

Doctrinae exercitium faciendum est; quo absoluto, et Sanctissimae Eucharistiae Sacramento precibus breviter profusis, veniam ab iisdem decedentes iterum petant, hunc enim honorem tanquam Superioribus exolvi par est.

7. In contentionem cum iisdem Parochis, Sacristis, et Superioribus nunquam deveniant, sed si quid a Statutis nostris alienum fieri jubeatur, obediatur tunc temporis, et Patri, seu Praefecto id interim significent, ut de remedio provideat.

8. Si Ecclesias Doctrinarum exercitio constitutas adeuntes, alios ibi vel Clericos, vel Religiosos in eodem exercitio occupatos forte reperiant, ulterius haud procedant; sed Eucharistico Sacramento devote adorato regrediantur, nihil mussitantes, quin omni prorsus humilitate, ac modestia locum eis tanquam dignioribus cedant.

9. Illud praecipue Doctrinarum Rectores monitos volumus, ut cum Fratribus, ac Novitiis sibi subjectis munera praestanda injunxerint, leniter, omnique prorsus charitate id faciant. Praeterea, si quid culpae quis eorum admiserit, coram pueris eum corripere, ac monere caveant,

sed alio monitionem distrahant; quod si remedii necessitas moram renuat, segregatum a pueris, et seorsim distractum dulciter moneat, salubrique muniat consilio.

10. Nec eadem exercitia, nec idem erudiendorum genus iisdem semper Fratribus praefigantur, sed variari quandoque necessarium est, ut vel levissimae affectionis occasio praecidatur.

11. Quod enixe in hac re Fratribus commendamus, est modestia, quam in puellarum praesertim institutione, quam maxime servari volumus, et in hoc singularem a Rectoribus vigilantiam desideramus.

12. Sive doceant in Ecclesia, sive plateas, aliave loca parum honesta circumeant, maximum, imo et Angelicam prope modestiam praeseferant; curentque non minus verbo rudes instituere, quam vitiosos retrahere exemplo; qua in re firmius Deum praesentem habere, animique puritatem enixius ab eo efflagitare opus est.

13. Neque pueros, neque puellas in facie spectent, ac ne manu tangant, eas praecipue, quae septimum aetatis annum praetergressae jam fuerint.

14. Officiosis nimium verbis eas ne alloquantur, sed et si leniter, et jucunde, parce tamen, et modeste.

15. Munuscula eisdem, vel praemia, quae aut vanitatem, aut singularitatem sapiant, minime elargiantur.

16. Peculiares domos convocatum puellas, vel pueros haud adeant soli, quin neque soli, Parochias periculosis in locis constitutas adituri, per plateas incedant.

17. Cum ad Sacram Communionem virgunculas agunt, nolumus per plateas, et frequentiores populi concursus passis crinibus adducant, sed quam modestissimo vultu, oculisque tenus velo coopertas.

18. Mysteria Fidei nemo enucleet, neque per vias, aut in Ecclesia ante Sacram Communionem sermocinetur, nisi Theologus sit, vel qui diu in nostra Congregatione probatus, electus tandem ad hoc fuerit.

19. Novitii, caeterique Fratres juniores cantiunculas plerumque canant, vel Christianae Doctrinae partes, signum Sanctae Crucis, Salutationem Angelicam, Dominicalem Orationem, et Apostolorum Symbolum doceant, neque ad haec explanationem ullam subtexant.

20. Ii vero, quorum interest doctrinam explanare, nec minute nimis, nec nimium diffuse doceant, sed ea tantum, quae necessaria videbuntur: puerorum captum perpendant, qui brevis est; ideo tota Cathechistarum cura, studiumque duo haec respiciat charitatem, ut pueri intelligant, rerum paucitatem, ut retineant.

21. In quovis Doctrinae exercitio (id quod unice Fratribus nostris commendatum volumus) peccati odium, sancti Dei Nominis reverentiam, et tenetos erga Virginem amoris stimulos puerorum cordibus inserere enitantur.

22. Extra dies Festos publica doctrinarum exercitia ne fiant, nisi de licentia Patris, vel Praefecti, neque alienam domum ejusmodi exercitii ergo quis adire praesumat.

REGULÆ PRO MISSIONIBUS

De Fratribus, et Novitiis eligendis ad externarum Missionum exercitia.

C A P. XXI.

1. PAtri tantum, et Consiliariis nostrae Congregationis facultas esto eligendi, quos ad Missionarios labores idoneos agnoverint. Haec autem electio fiat octo ante dies quam mittantur, ut per spiritualia exercitia ad discessionem interim quisque se paret.

2. Non eligantur, nisi qui doctrinae gradu, morum integritate, vitaeque exemplo caeteris antecellant, et quorum irreprehensibilis vita, doctrinaeque praestantia duos jugiter annos in nostra Congregatione probata fuerit.

3. Qui a Confessionibus esse debent ipso Missionis tempore, si Confessarii alias probati non sint, neque de eorum sufficientia liqueat, in ipsa Consultatione experiantur, et ut ab Ordinario opportunae facultates valeant obtineri, examinentur.

4. In socios assumi vetamus, qui ri-

tu vestis ab aliis Fratribus discriminantur, vel ad communem Fratrum mensam difficile se se accomodant: facile namque ex eorum societate, vel statuta nostra praeteriri, vel cum alienis immisceri contigerit. Ideo Missionarii alienae Congregationis, vel nunquam assumantur, vel si adhiberi quandoque occurrat, nostras ab eis sanctiones variari Rectores haud sinant.

5. Si quem ex juvenibus ad puerorum istitutionem, vel aliquod aliud exercitium eligi oportuerit, non eligatur nisi qui Diaconatus, vel Subdiaconatus Ordine insignitus est, vel vigesimum primum annum jam expleverit.

6. Operariorum numerus ad Missionaria opera mittendorum, a locorum numero, et magnitudine, a tempore morae, et laborum gravitate commensuretur.

De Officialibus Missionum.

C A P. XXII.

1. QUaelibet externa Missio quinque Officiales habeat, nempe Superiorem, Admonitorem, Oeconomum, Sacristam,

et Cancellarium, qui omnes a Patre, suisque Consiliariis creandi sunt. Si vero contingat, ut dum Apostolicis vacant laboribus dividi inter se oporteat, quo distinctis in locis eodem tempore collaborent, Superior ipse caeteros Officiales creet. At si Superior ex inopina infirmitate, vel munus suum exercere nequeat, vel a Missione reverti cogatur, in hoc casu Fratres ipsi in unum coacti, adhibitis votis, novum Superiorem eligant pro majori suffragiorum numero.

2. Superioris officium non committatur nisi probato viro pluribus in Missionibus versato, magnaque prudentia praedito. Ejus curae incumbat exercitia Missionis ordinare, suum cuique laborem praefigere, tempora, et horas statuere, et spirituali Fratrum bono domi consulere.

3. Monitoris esto Superiorem monere (cum charitate tamen, et reverentia) de iis omnibus, quae, vel rationi non consentanea, vel Missionis profectui obnoxia esse animadverterit. Quod si Superior monitum parvipendat, ipsum Monitorem oneramus, ut quanto citius per literas certioret Patrem, qui adhibita consultatione, statim providere tenebitur.

4. Oeconomi interest curare ea, quae corporalem Operariorum indigentiam, et substentationem respiciunt, ob id ejus ministerio incumbit providere Fratribus, tum de domicilio, lectis, caeterisque necessariis utensilibus, tum etiam de victu quotidiano; idque non solum in locis ipsis, ubi Missiones habentur, verum et in itinere, sive proficiscantur ad Missiones, sive a Missionibus revertantur. Huic oneri magna cum charitate erga Operariorum salutem satisfacere curet.

5. Sacrista duo praestet. Primum, Missarum a Fratribus celebrandarum curam gerat, singulis celebrandi horam constituens, et praevio consulet de omnibus ad Divina Sacrificia necessariis: quod in itinere praesertim sedulo curare oportet, ut scilicet loca, ubi celebrandum sit, praevideat, cogitetque praemature de his, quae fuerint opus. Secundum, tempore Missionis signum dabit Fratribus (praemonitus tamen a Superiore) recedendi ab Ecclesia, et conferendi se domum; idem et praestabit domi, cum ab Oratione, et Officio Fratres assurgere Superior velit.

6. Cancellario injungitur, ut omnia quae

Missionis tempore in dies accidunt, ad aliorum disciplinam, vel exemplum deservitura, adnotet, Patrique, annuente Missionis Superiore, per literas significet, has autem Pater tradat Secretario legendas in plena Congregatione, moxque ab eodem Secretario, vel integra, vel quo ad notabiliores partes exscribantur in libro ad id parato.

De Locis, ubi peragenda sit Missio.

C A P. XXIII.

1. EA Loca Missionibus nostris designentur, quae indigentiora, ac destitutiora aliis sint.

2. Nullum ad Locum Missionis ergo Fratres nostri accedant, nisi a Praelatis, vel Universitatibus, vel Baronibus ad id postulati fuerint, in quo casu benedictionem, et facultatem a Locorum Ordinariis antea obtinendam praecipimus.

3. Iis in Locis, ubi exteri operarii recentem Missionem egerint, vel in praesens habeantur Conciones Quadragesimales, vel de Adventu Domini, Missiones a nostris fieri nequaquam concedimus,

non obstantibus postulationibus quibuscumque.

4. Statim ac in Missionis Locum a Fratribus nostris deventum fuerit, Parochialem Ecclesiam primum visitent, ibique Sanctissimo Sacramento humiliter adorato, et Sanctorum Loci Protectorum (quorum una cum Angelis ejusdem Loci Tutelaribus quotidie per totum Missionis tempus commemoratio fiat in Officio) ope exorata, benedictionem ab Episcopo petitum eant: mox ad Parochum se conferant, cui tamquam famuli, nedum coadjutores in cultura animarum ei commissarum, obedientiam, et subjectionem protestentur, id quod opere mox probatum faciant. Expleta Missione, antequam abscedant, eumdem Episcopum adeant, cujus pedibus provoluti, decedendi facultatem, et veniam simul exorent; idem humilitatis officium exerceant cum Parochis.

5. Nulli ex Locis, ubi fit Missio fastidium, aut incommodum inferant, sed habitationem tantummodo, (et hanc foeminarum contubernio vacuam omnino) lectum, et necessaria ad coquinam accipiant, praeterea nihil.

6. Primo die, quo Urbem, sive Op-

pidum adierint pro Missione agenda, curet superior edoceri omnia scandala, inimicitias, et dissentiones, quae Cives vigent, ut consil[illegible]modum habito cum caeteris Fratribus, possint opportuna remedia adhiberi.

7. Si a Loco, ubi Missionem agunt, ad alium praeter designata ante discessum a Patre, Missionis causa vocati fuerint, vocationi haud indulgeant, nisi veniam prius ab eodem Patre per literas obtineant. Quod si scribendo tempus non suppetat, Fratres ipsi Consilium ineant, et ex plurium sententia deliberetur.

Quomodo se Fratres invicem gerere oporteat in Missionibus.

C A P. XXIV.

1. CErtamina, et contentiones, quibus Charitatis nexus abrumpitur, pax, et unio labefactatur, totis viribus declinent, sed consilio quisque se subdat alterius, et tanquam Superiori, alius alii venerationem impendat.

2. Nulli, nisi Superiori, Fratrum defectus corrigere, seu reprehendere fas

sit; ideo quisquis gravem socii culpam animadvertat, Superiorem clam certioret, ut correctionem, et remedium adhibeat.

3. Nemo socium carpat de modo concionandi, neque errata in dicendo mutuo sermone perstringantur, sed alius alium confirmet, animetque ad Apostolicum exercitium, in quo plus spiritu, quam naturae dotibus, dicendique arte proficiatur.

4. Studeat quisque, ut de socio alii bene existiment. Concionatoris enim verba boni nominis celebritate suffulta libentius excipiuntur, et validius operantur ad salutem.

5. Nemo sibi primos affectet in concionando, sed libenter eos deferat socio, nec minus a Deo se honoratum putet, si pueros instituat, quam si verba faciat e suggestu. Ut ergo humilitas isthaec servetur in singulis, regulam statuimus, ut qui potiorem habuit Concionem in uno loco, pueros, nisi impedimentum intercedat, erudiat in alio.

6. Ordine procedatur, tum in ambulando, tum in accumbendo, ita ut potiorem obtineat locum Superior. Alii successive pro prioritate temporis, quo excepti fuerint in Congregatione.

7. Si (quod Deus avertat) dissentio, aut jurgium aliquod inter Missionarios contingat, dormitum haud eant, nisi prius concilientur, et veniam mutuo exoraverint; quis Urbem, aut oppidum perambulet, sed venia impetrata, et cum aliquo ex Fratribus, quem ei socium Superior addixerit.

9. Ex quo Urbe egrediuntur, benedictione a Patre praeaccepta, usque ad reditum in superiorem agnoscant, quem Pater eis constituit, et in eo non solum Patris, verum et ipsius Christi Personam venerentur.

10. Omnes uno sint corde, una voluntate, una aeque inter se sententia, ad eumdem finem omnes colliment; victu nemo difformis; veste, et modo agendi absimilis nemo: singularitatis enim vel umbram detestamur.

Quanam ratione cum Civibus Loci, ubi Missio fit, gerere se fratres debeant.

1. Eodem spiritu cum Proximis agant, quo Christus Jesus, nempe spiritu lenitatis, et dulcedinis, praecipue cum peccatoribus, et rudibus, quorum alteros benigne commonere, alteros officiose erudire necessarium est.

2. Personarum acceptores haud sint, sed aeque nobili, ac plebejo diviti, aut pauperculo ministerium suum impendant: quin et speciali modo pauperes, et populares excipere studeant; ad hos enim ex nostrae vocationis officio praecipue obstringimur.

3. Ita cum omnibus se se gerant, ut morum lenitate, verborumque suavitate omnes attracti, ultro iterum redeant, ut instruantur, et confirmentur in via salutis aeternae.

4. Illud prae caeteris curandum, ut intelligant Populi, quibus Verbum Dei ministratur, non aliud a nostris quaeri, quam Animarum salutem: ideo nulla in

re sint cuipiam graves, neque a sponte licet offerente, munusculum, aut quid hujusmodi etiam levissimi pretii quovis nomine accipiant.

5. Iis in locis, ubi missionem egerint, nemo ex nostris Missionariis Conciones Quadragesimales, vel de Adventu Domini, spe consuetae eleemosynae obtinendae sibi procuret; et si ibi concionari, eo tempore contingat, neque primo, neque secundo post Missionem anno eleemosynam ullam accipiat, vel acceptam pauperibus loci, Ecclesiisve distribuat.

6. Caveant in Missionariis Concionibus Ecclesiasticos, etiam censurae publicae obnoxios, verbis perstringere; sed studendum potius, ut de eis saeculares bene existiment.

7. At neque ad peculiares personas, vel praecipua earum crimina corrigenda devenerint; Verbum enim lux est, adeoque ut agnitionem sui status cuique faciat, satis est si audiatur.

8. Saeculares ad mensam, vel ad domesticam consuetudinem non admittant; domi tantum excipiant eos, quos in Confessionibus audire, vel spiritualia edocere contingat: si quem vero Sacerdotem

coadjutorem adhiberi necessitas cogat, hunc a nostro contubernio minime excludimus, modo civis haud sit ejus loci, in quo habetur Missio.

9. Mulierum confessionem extra confessionalia, et facie ad faciem audiri penitus inhibemus; cum infirmantibus autem, si vigeat necessitas, caute Fratres, et quam modestissime in hoc se gerant.

10. Nullius generis munera, etiam quae devotionem sapiunt, mulieribus praestentur, aut ab ipsis accipiantur, neque post Missionem ad earum aliquam quis ex Fratribus nostris frequenter literas mittat.

Exercitia a Fratribus agenda tempore Missionis adsuum ipsorum profectum.

C A P. XXVI.

1. ORationi mentali seu sanctae Meditationi medietatem horae junctim mane impendant, itemque vespere. Puncta vero a Superiore, vel ab alio, quem Superior destinaverit, viva voce suggerantur.

2. Ante Orationem mentalem recitentur Litaniae, mane Sanctorum vespere Beatae Virginis.

3. Officii Divini pensum una simul exolvant, hoc equidem ordine temporumque distributione, ut vespere ante Orationem mentalem recitetur Matutinum cum Laudibus; mane ante mensam, Prima, Tertia, Sexta, et Nona; Vespere tandem, et Completorium ante quam domo egrediantur.

4. Mensa quotidie alicujus libri spiritualis lectione condiatur, legendique onus ille ex Fratribus subeat, quem superior deputaverit. Ut autem assiduis laboribus attritae Operariorum vires refectionem aliquam capiant et levamen, Superior mensalem lectionem longe protrahi non sinat, sed brevitati prospiciat, cumque visum sibi fuerit, signum faciat Lectori lectioni terminandae, copiamque det Fratribus silentii abrumpendi.

5. Quotidie Fratres Sacerdotes, quam maxima poterunt devotione operentur Sacris, et qui Sacerdotes non sunt, Eucharistiam sumant quotidie. In praeparatione vero, et gratiarum actione tempus aliquod insumant, quod ut exemplo sit caeteris, observari se ab illis haud refugiant.

6. Antequam dormitum eant, vespere omnes conveniant, et genibus flexis suam

quisque conscientiam excutiat. Peracto examine, recitent alta voce *Salve Regina*, qua expleta, Superior aqua benedicta aspergat singulos.

Exercitia Missionis tempore Saecularibus impertinenda, et eorum ordo.

CAP. XXVII.

1. Exercitia Missionis tempore facienda, haec sunt. Verbum Dei simplici stylo, et cum fervore spiritus ministrare; spiritualia exercitia, tum laicis, tum Ecclesiasticis praebere; pueros in Fidei rudimentis instituere; rudes, et ignorantes in his, quae tum credenda, tum facienda sunt, erudire; meditandi modum docere; generales confessiones faciendas proponere, dissidentes animos ad concordiam revocare, inimicitias extinguere; sanctum Dei timorem, et amorem toto conatu quibuscumque fieri potest modis, in omnium animis inserere.

2. Nam quo ad ordinem, uno, vel duobus ante diebus, quam inchoetur Missio, eant Fratres per plateas, et brevibus Conciunculis Missionem indicant, quod

etiam fiat ipso Missionis tempore, donec fervorem in Populo excitaverint.

3. Ipso die, quo inchoanda est Missio (a Festo autem inchoari moris est) Parochus inter Missarum solemnia Populum moneat, ut tam praesenti, tam copioso gratiarum thesauro abuti nolit, sed alacri animo, et frequens intersit exercitiis omnibus, quae ab Operariis fient.

4. Post Vesperas, coacto Clero in aliquo opportuno loco, Superior, seu quem Superior elegerit, brevem habeat orationem, qua Ecclesiasticos omnes hortetur ad exercitiorum frequentiam, ut bono ipsorum exemplo excitetur Populus ad idem praestandum.

5. Habito hoc familiari sermone, statim Fratres praeeunte Crucifixi imagine exeant cum iisdem Ecclesiasticis canentes Litanias Beatae Virginis, et plateas excurrentes ad convocandum Populum, sistant paululum duobus, vel tribus in locis, ubi frequenter erit Civium concursus, ibique aliquis ex Fratribus pro libito Superioris (qui non uni semper onus hoc injungat, sed alternatim singulis) brevem habeat sermonem, quo Populum ad adeundam Ecclesiam, Divinumque ibi

verbum audiendum hortetur. Hoc autem fiat singulis diebus, si necessarium atque proficuum Superior extimaverit.

6. Convocato Populo, et in Ecclesia congregato, fiat Concio, sive Meditatio, prout expedire magis Superiori videbitur: qua absoluta, Concionator Missionem promulget; exercitia in Missione agenda significet; horam pro singulis constituat; facultatem, quam habent Operarii constante Missione, absolvendi, tum a censuris, tum a peccatis; nec non et Indulgentias denunciet.

7. Mane sequentis diei, hora, quae agricolarum commoditati opportunior videbitur, fiat Concio, si pridie sub vesperas praecessit Meditatio: fiat autem Meditatio, si sero anteacti diei habita est Concio. Utraque vero versetur in materia purgativa, ut dolorem de praeteritae vitae culpis excitet, et ad poenitentiam Auditores inducat.

8. Post Concionem sedeant Fratres ad audiendas Confessiones Sacramentales, et interim is, cui puerorum instructio demandata est, non discedat ab Ecclesia, sed pueros ibi grandiusculos, et captu maturiores ad Confessionem erudiat.

9. Hora a Superiore constituta dabitur

signum per campanulam Sacristiae, quo audito, quisque ex Fratribus curet a suo se opere expedire, et una omnes domum regrediantur ad corporis refectionem.

10. Horis Canonicis domi persolutis, cibo viribus refectis, et Vesperis cum Completorio recitatis, exeant per vias ad congregandos pueros et puellas, ut in Ecclesiam perducti, Catholicae ibi Fidei rudimenta edoceant.

11. Post puerorum institutionem fiat Cathechismus magnus ad instructionem Populi, et immeditate post recitetur tertia pars Rosarii in honorem Beatissimae Virginis, vel Corona parva, quae memoriam Jesu Christi Vulnerum a pio fidelium coetu recitari solet. Secundum hoc exercitium ab alio fiat, quam ab eo, qui Chatechistae munus peregit.

12. Dum a Catechista Populus instruitur, sejuncto in loco Superior, vel alius ex sociis ab ipso designatus, dabit Exercitia Sacerdotibus, quae ubi peracta sunt, prodeatur cum iisdem Sacerdotibus, praevia Crucifixi Imagine, ad convocandum hic inde Populum pro Concione serotina.

13. Quarto Missionis die post, vespertinam Concionem, foeminis Templo egres-

sis, ibidem, vel alio in loco ad id parato, fiet a maribus disciplina, quam pridie post Concionem indixit Concionator. In hoc autem exercitio, ut fervor excitetur, nonnullas perbreves conciunculas intermisceri juvat, argumento desumpto ex paulo ante habita Concione.

14. Post disciplinam, superiori gradu Altaris fiant pauca verba de bono pacis, ut animi ad concordiam accendantur, et odio invicem laborantes, simultate posita, ad Crucifixi pedes concilientur.

15. Die penultimo Missionis, sacram Communionem accipiant pueri, et puellae: ultimo autem die fiat Communio generalis, quam praecedat brevis sermo; et in hoc enixe elaborandum, ut si quae ex foeminis mutuo se se odio prosequantur, pacem ineant, et pacatis se se animis complectantur.

16. Praescriptus ordo exercitiorum immutari poterit a Superiore pro locorum angustia, et Operariorum paucitate.

Statuta communia omnibus nostris Operariis tempore Missionum.

CAP. XXVIII.

1. Operariorum vita, mores, et conversatio ea sit, quae Divini verbi fidem haud destruat, et (ut monebat Apostolus) non vituperetur ministerium nostrum.

2. In Confessionibus audiendis, caeterisque aliis exercitiis, atque actionibus Angelicam praeseferant modestiam: haec enim ad proximorum salutem efficacior est, quam verba.

3. Nemo mulierum se se rebus ingerat, sed durante Missione studeat quoad potest, spiritalibus earum necessitatibus tantum opitulari, et in Dei timore eas erudire. Missione vero peracta, Rectoribus aliis earum directio derelinquatur.

4. Episcopis, Parochis, omnibus Sacerdotibus Loci, ubi Missio habetur, reverentiam impendant quammaximam.

5. Parent Superiori quemlibet in locum mittautur, seu cuivis exercitio destinentur.

6. Cum exercitii terminandi, aut alia Communitatis signa perceperint, non secus obediant, ac si ipsiusmet Superioris

vox eorum auribus intonet.

7. Silentii tempus, quod erit post coenam ab indicto examine conscientiae usque ad finem Orationis mentalis matutinae, quam exactissime custodiant, ... eo tempore quidquam invicem alloquantur, nisi ex necessitate, et voce demissa, quantum sat est a socio intelligi.

8. Nec delicias in lecto, nec luxus quaerant in Mensa, sed necessitati tantummodo subveniant, inopiaeque loci ultro se se accomodent: a Communitate vero nullus audeat recedere.

9. Deum ubique, et in omnibus prae oculis habeant, eumdemque praesentem singulisque actionibus adstantem revereantur: hoc enim exercitio, et sibi, et aliis fervorem spiritus promerebuntur.

10. Caveat quisque ne praecipuum sibi locum, concionem, aut exercitium, neve peculiare sibi Confessionarium, vel poenitentem exquirat, sed indifferens esto, et paratus efficere quidquid ei Deus per obedientiam injunxerit.

11. Sive iter faciant, sive Missionem peragant, Mulierum contubernium totis viribus declinent, itaut quod illas hospitari nequaquam consentiant.

12. Saeculares apud se habitare non sinant, ne spiritualis quidem utilitatis nomine; eos vero notae probitatis Sacerdotes, quos aliunde accitos coadjutores sibi adjuxerunt, domi suae habitare non denegamus.

13. Restitutiones incertae non alibi, quam ubi receptae sunt, distribuantur.

14. De rebus in confessione auditis invicem Fratres haud communicent, nisi ad consilium ineundum, ac facultate a poenitentibus praeobtenta.

De Fratrum profectu ad Missiones, ipsorumque reditu.

C A P. XXIX.

1. Cum ad Missiones proficiscuntur, vel a Missionibus Fratres redeunt, absque urgentissima causa et necessitate invicem ne sejungantur, sed una semper sint, tum in itinere, tum in diversoriis, aut ubicunque hospitium coeperint. Quod si aliqua transeant, ubi propriam quis habeant, domum, poterit ei Superior indulgere, ut sejunctus a Fratribus, unam tantum apud suos noctem maneat.

2. Si in diversoriis una omnes in aede simul esse nequeant, plura contermina cubicula ad mansionem sibi eligent.

3. Mensa haud palam exponi, sed penitiori in loco apponi curent.

4. In itinere, et diversoriis, ubi hospitari contigerit, caupones, eorumque famulos qucquo modo possunt, hoc est verbis spiritualibus, monitis, maximeque exemplo, juvare non desinant.

5. Si quo in loco, ubi mansionem fecerint, Orationi simul indulgere non vacent, Litanias saltem Beatae Virginis junctim recitare non omittant.

6. Ubi dissociari contingit, ut animarum conversioni seorsim operentur, eo quisque socio, et jumento contentus esto, quod ei Superior assignaverit.

7. Obedientiam Praefecto Missionis usque adeo praestari volumus, donec reditus fiat in Urbe, benedictionemque a Patre acceperint.

De Fructu in Missionibus intendendo.

CAP. XXX.

1. Finem et scopum, quo omnia sua studia, vires et labores dirigere Missionis tempore Fratres debent, hunc esse sciant, nempe, sanctum Dei timorem audientium animis inserere: praecipuum erga Jesu Christi Passionem affectum excitare: Virginis Deiparae devotionem augere: Divinae praesentiae exercitium, Sacramentorumque frequentiam suadere, si quos vero ad Orationem mentalem inducere opus sit, ab eis meditandi regulis, et methodo, quam Divus Petrus de Alcantara tradidit, non recedant.

2. In Confessionibus audiendis caute segerant, videantque solerter cuinam de anteacta vita generaliter confiteri opus sit, curentque in eo pacis statu conscientias relinquere, ut nulla sint in posterum animi perturbatione laboraturae.

3. Quisque sibi suasum habeat se esse Angelum pacis, idcirco omnem lapidem moveat, ut inimicitias, et simultates extinguat, Deoque animos conciliatos reddat.

4. Abscedentes peracta Missione, statutam et optime firmatam relinquant devotionem Sacratissimi Rosarii, memoriamque dolorosae Agoniae Christi Domini in Cruce pro nobis passi; idcirco rogandi sunt Parochi, ut personam constituant, quae ad signum vigesimae primae horae diei pulset campanam: quo signo monitus Populus, atrocissimas recolat poenas in Agone mortis Jesu Redemptoris nostri substentas.

5. Studeant prae viribus apud Ordinarios Locorum, ut Saecularium Congregationes erigantur, quarum regimini, atque conservationi aptae eligantur personae. Super omnia vero apud eosdem Ordinarios curent, ut Clericorum Congregationes fundentur, qui semel, aut bis in hebdomada eadem peragant exercitia, quae a nostris hic fiunt.

6. Hujusmodi Clericorum Congregationes uti poterunt nostris legibus et statutis, etsi moderari haec oporteat pro idoneitate, et numero Ecclesiasticorum Loci.

7. Poterunt et nostrae Congregationi aggregari, si Patri ejusque Consiliariis videbitur; in quo casu bis in anno relationes habendas volumus ad earum subsidium, et stabilimentum.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes, Statuta hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quavis occa-

sione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui relationem et votum dilecti filii nostri Caroli ejusdem S. R. E. Cardinalis Bichii nuncupati, ad hujusmo-

di negotium examinandum deputati, attenderunt, consilio, praeinserta Statuta sive Regulas, authoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; ac omnes, et singulos Juris, et Facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes ipsas praesentes litteras semper

firmas, validas, et efficaces existere, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, illisque in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate

scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae,

vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Novembris 1708. Pontificatus nostri anno octavo.

Loco ✠ Sigilli.

F. Oliverius.

INDULGENTIÆ PERPETUÆ,

Quas lucrantur Fratres Congregationis S. MARIÆ PURITATIS ex concessione Clementis PP. XI. in Brevi: Cum sicut accepimus. *Dat. Romae* 1. *Aprilis* 1716.

INdulgentia plenaria in die eorum ingressus in Cong. praed., si vere poenitentes et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

Indulgentia item plenaria in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

Indulgentia item plenaria, si vere poenitentes etc. praedictae Congregationis Oratorium die Festo principali (8. Septembris, vel feria 4. in Octava Nativitatis B. M. V.) a primis Vesperis usque ad occasum Solis hujusmodi dies devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia etc. pias ad Deum preces effuderint.

Indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum, si vere poenitentes etc. Oratorium hujusmodi visitaverint in quatuor aliis Anni diebus, nempe in feriis quartis infra Octavas Ascensionis D. N. J. C., Assumptionis B. M. V., S. Michaelis Archangeli mense Sept., et SS. App. Petri et Pauli.

Indulgentia 60 dierum de injunctis poenitentiis, quoties Missis, et aliis Divinis Officiis in Oratorio hujusmodi celebrantis, et recitandis; seu Congregationibus publicis, seu privatis hujusm. Confrat. ubivis faciendis, interfuerint; aut pauperes hospitio receperint; vel pacem inter inimicos composuerint, vel componi fecerint; nec non qui Corpora Defunctorum tam Confratrum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint; aut quascumque Processiones de licentia Ordin. faciendas, sanctissimumque Euch. Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, aut Salutationem Angelicam dixerint; aut etiam quinquies *Pater*, et *Ave* pro Animabus Defunctorum Confratrum hujusm. recitaverint; aut de-

vium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea quae ad salutem sunt, docuerint; aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint.

Rescriptum SS. D. N. Benedicti XIV., quo conceditur Praefecto, et Fratribus Congregationis S. M. Puritatis Altare Privilegiatum Personale.

Ex Audientia SS. die 27. Febr. 1747.

SS. Benigne petitis annuendo concessit Oratori, aliisque Presbyteris Congregationi, de qua in precibus, addictis, Altare Privilegiatum Personale pro duabus vicibus in qualibet hebdomada, et ulterius pro simili personali Privilegio indulsit semper et quandocumque pro omnibus illis Missis, quas praedicti Sacerdotes in Privilegiatis Altaribus celebrare debuerint.

Loco ✠ Sigilli.

Joseph Livizzani Sec.

FORMULA OBLATIONIS

Fratrum Congreg. S. M. Puritatis.

SAnctissima Virgo Mater Dei Maria, ego N. N. indignissimus famulus tuus eligo Te hodie in meam Dominam, et dulcissimam Matrem, et rogo Te, me ita regere digneris, ut sine ulla peccati labe Tibi, ac Filio tuo in salute Animarum procuranda servire, ac Regulas nostrae Congregationis observare, et ab aliis quoque Tibi servitium exhiberi, curare valeam. Da mihi nunc tuam singularem custodiam, in quam me hodie committo, spem meam repono, Animam meam commendo, et finem vitae confido, in quo per sanctissimum Jesu Christi Filii tui Sanguinem memor esto mei. Amen.

LAUS D. O. M., ET B. MARIÆ VIRGINI PURITATIS MATRI.

A S. E. Reverendissima

MONSIGNOR ROSINI

Presidente della Giunta di Pubblica Istruzione.

Eccellenza

Pasquale Tizzano stampatore desiderando di voler stampare un libro intitolato: *Statuta, et Regulae Congregationis Presbyterorum Saecularium etc.* Prega l' E. V. Reverendissima di commetterne la revisione, e l' avrà ec.

Pasquale Tizzano.

Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione.

Addì 5. Luglio 1823. — Il Regio Revisore Sig. D. Gioacchino Canonico Lavitrano avrà la compiacenza di rivedere le trascritte Regole, e di osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità.

Il Deputato per la Revisione de' libri
Can. Francesco Rossi.

Eccellenza Reverend.

L' opera *Statuta, et Regulae Congregationis Praesbyterorum Saecularium* è un frutto dello spirito del P. Torres, Pio Operario, il quale fu uomo di Dio, adornato di un costume purissimo, e con queste regole volle formare i Missionarj occupati a vivere con i lumi del S. Vangelo, e a predicare con purità d' intenzione per guadagnare le anime a Dio. Ella è degna di essere ristampata, e niente in essa si trova ripugnante alla Fede, al buon costume, ai dritti della Sovranità. Questo è il mio giudizio. Mi dico

Di V. E. Reverend.

Napoli 14. Luglio 1823.

Divotiss. Obbl. servo vero
Can. GIOACCHINO LAVITRANO *R. Rev.*

Napoli 18. *Luglio* 1823.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA

PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Veduta la dimanda dello Stampatore Pasquale Tizzano, con la quale chiede di dare alle stampe un libro intitolato: *Statuta*, *et Regulae Congregationis Praesbyterorum Saecularium etc.*

Veduto il favorevole Rapporto del Regio Revisore D. Gioacchino Canonico Lavitrano;

Si permette, che l' indicato opuscolo si stampi; però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisorè non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all' originale approvato.

Il Consultore di Stato Presidente
M. ROSINI.

Il Consultore di Stato, *Segret. Gen.*, *e Membro della Giunta*
LORETO APRUZZESE.